



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia  
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte  
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1625**

XIII. Qualis sit, & vnde originem traxerit solemnitas voti obedientiæ, & aliorum, si quæ alia vota sollemnia sunt.

---



solendum est: vt in lib. 2. de Voto c. 3. & 5. attigimus. Est ergo sermo de voto obediendi homini vicem Dei tenenti. Addendumque est, oportere, vt sit votum obediendi in materia non tantum per se necessaria, seu quæ alias sit sub præcepto absque voto, sed etiam in materia consilii, & supererogationis, quæ proprie ad perfectionem pertinet. Supponimusque contra hæreticos materiam huius voti, non solum honestam esse, sed etiam de meliori bono, & sub consiliis Christi contineri; quod supra circa statum religionis ostendimus. Denique supponimus, votum obediendi honeste fieri posse, & extra professionem religiosam, & in illa, ac proinde & simplex esse posse, & solenne. Simplex est omne illud, quod extra professionem religiosam fit; de quo postea in lib. 6. aliqua dicemus. Solenne autem est solum illud, quod fit in professione religiosa communiter in Ecclesia vtitata, & quasi per antonomasiam sic dicta. Quod addo; ad excludendum votum obediendi, quod fit à religiosis societatis nõ profectis: nam licet coniungatur traditioni religiosæ, simplex est, & non solenne; saltem ex eo capite, quod illa traditio non est absolute perpetua, quia non inducit vinculum indissolubile ex parte vtriusque extremi: vt in cæteris votis explicatum est. Et sic intellecta dicta suppositio, quoad partem affirmantem hoc votum in professione religiosa esse solenne, indubitata est apud omnes, & ex discursu huius capituli manifesta fiet.

Quoad aliam vero partem exclusiuam, aliqui censent, etiam ordinationi facti adiungi votum solenne obediendi, cuius sententia videtur esse Medina lib. 6. de Contin. c. 10. & 11. & c. 13. Cuius sententiam referens Vazquez tract. de Reddit. c. 1. §. 1. dub. 3. dicit omnes id fateri, quia cum clerici ordinantur, ab eis exigitur, vt promittant obedientiam Prælato suo. Sed in primis non inferitur inde illam promissionem esse votum, quia illa promissio nõ videtur fieri Deo, sed homini; verba enim, quibus fit, hæc sunt in Pontificali Romano: *Promittis obedientiam Prælato tuo?* Et respondet ordinandus, *Promitto.* Tantum ergo videtur illa esse quedam humana promissio, cui postea iuramentum adiungitur, quod distinctam obligationem à voto inducit. Deinde esto esset votum, nõ est, cur vocetur solenne, nisi accidentaliter, quia publice, & cum ritu determinato fit; quia inde non habet vllum effectum moralem, præter obligationem, quam promissio, vel simplex votum inducit.

Ac denique probabile est, non esse promissionem obediendi in materia obediendi supererogationis, vt sic dicam, sed tantum in materia necessaria; vel quam Prælati facere potest necessariam ex vi præcepti, etiam si promissio specialis non interueniret. Additur tamen ad maiorem firmitatem, & ad melius explicandum voluntarium consensum in nouam subiectionem, quam clericus Prælato suo offert, & de nouo assumit. Si ergo illa clericorum promissione omilla, votum solenne obediendi tantum in professione religionis fit. Vnde propositum dubium nascitur, quidnam solennitas illa sit; & consequenter, vnde sit? Ratio autem dubitandi peculiaris nobis est, quia nos hæc substantialem votorum solennitatem per aliquos peculiarem effectum morales explicamus, quod sine illis nihil in voto solenni inuenimus, quod simplici conuenire non possit. At hoc votum obediendi nullum peculiarem effectum habet, quæ votum simplex æqualiter inducit; vt in solennitatem peculiarem habet, cum non habeat vllum solennitatis effectum.

Ad hanc difficultatem moderni authores, quos

hic, & in superioribus allegaui, nihil respondent, neque huic voto peculiarem effectum moralem attribuant. Responderi autem potest, votum hoc peculiarem effectum habere, quem votum simplex obediendi facere non potest, nimirum, quia ita subiicit voluntatem vouentis Prælato, vt sine illius consensu inefficax sit ad omnem civilem, vel naturalem obligationem, per contractum, vel quemcunque alium modum contrahendam. Hanc esse conditionem religiosi profecti, tradunt Innoc. in c. olim. 2. de Priu. Abbas in c. ex rescripto. de Iureiur. not. 3. & ibi Felin. quialios refert. & Host. lib. 3. sum. tit. de Fideiuss. §. pro qua. v. & qui. Et Iason. in l. si id, quod. n. 1. ff. de condict. indebit. v. & qui. Nauar. lib. 1. Constit. de Pactis conf. vlt. n. 4. & 5. Qui authores etiam sentiunt, hunc effectum prouenire ex voto obediendi. Fundantur enim in hoc, quod regularis renunciat voluntati sue, ita vt nec velle, nec nolle habere dicatur, in c. 2. de testam. in c. vlt. de sepult. in 6. c. quorundam. & c. si religiosus. de Elect. in 6. Hæc autem renunciatio, & abdicatio propriæ voluntatis per votum obediendi fit, iuxta verba Augustini in regula Monachorum, alias epist. 109. quæ referuntur in c. Non dicatis. 12. q. 1. *Nostre congregationis fratres, non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis in ipsa ordinis susceptione renuntiauerunt. & se promissam obediendam penitus aliorum potestati, & imperio, Christo, & pro Christo subdidit.* Est ergo ille effectus à voto obediendi.

At vero simplex votum obediendi talem effectum non habet ex vi solius obligationis suæ naturalis, quia solum inducit simplicem obligationem promissionis parendi prælato, quæ non est sufficiens ad irritandam voluntatem se obligandi alteri in materia non contraria priori voto, aut suæ regulæ, vel iure acquisito religioni, seu prælato eius; quia vbi non est naturalis repugnancia, non est, cur vnum ex solarei natura aliud destruat. Adde, quod votum obediendi per se non obligat ad nullam promissionem faciendam de re honesta; & alias nec per regulam, nec à Prælato prohibitam. Sicut de voto dixi lib. 3. de Voto. c. 5. Nam est eadem ratio. Ergo ex hac etiam parte talis obligatio valida est. Imo quando quis vouere, vel promittere, esset à prælato prohibitum, nihilominus factum ipsum non esset per se irritum, nisi hoc antecedenter fieret; quod an possit ab ordinario prælato religioso fieri, incertum est; iuxta dicta in citato lib. 3. c. 3. & infra tractabitur. Ergo ille effectus, de quo agimus, prouenit ab aliqua solennitate tali voto addita, vel potius virtus, & efficacia ipsi voto adiuncta est solennitas eius, seruata proportione ad ea, quæ de aliis votis diximus.

In hoc autem modo explicandi huius voti solennitatem, difficultas occurrit; quia fundamentum, quod sumitur, non est certum, nec sufficiens iure, aut ratione fundatum. Nam in primis Panor. i. p. Consil. in 10. 4. (si est eius, vertitur enim in dubium) referens prædictam opinionem, illam reprobat, quoad illam partem de obligatione naturali, dicens, posse religiosum obligati naturaliter, quia æquiparatur seruo; iuxta doctrinam Innoc. in d. cap. cum olim. quam probat Bart. in l. 1. cum aliis. ff. de stipulat. seruorum. Et seruus potest naturaliter obligari sine licentia Domini, iuxta leg. naturaliter. & l. si id, quod. ff. de condict. indeb. vbi Bart. id notat. Veruntamen nec hoc fundamentum satis firmum apparet, quia non est necesse, illam æquiparationem, in omnibus obseruari. Tum, quia, vt sup. Gregor. lib. 4. epist. 44. constat, strictior est seruus religiosus, quam pœnalis, seu temporalis. Vnde in hæc parte illa potest esse rigorosior; quia iura hoc concedunt seruo, non autem religioso. Tum etiam, quia multa licent seruo sine licentia Domini, quæ non

*Aliqui opinantur in hoc consistere, quod votum obediendi ita subiicit voluntatem vouentis prælato, ut sine illius consensu inefficax sit ad omnem civilem, vel naturalem obligationem, quemcunque modo contrahendam.*

5.

6.



licent religioſo ſine licentia Prælati, & è conuerſo. Nihilominus Nauar. Comment. 2. de Reg. n. 42. in hanc ſententiam inclinans, dictam rationem Panormit. confirmat; quia nulla lex magis videtur reſiſte- re obligationi monachi promittentis, quam ſerui, v- tique, quantum eſt ex parte voluntatis vtriuſque, & ſuppoſita materia capaci, id eſt, honeſta, & neutri in particulari prohibita. Deinde, quoad obligationem naturalem addit optimam confirmationem, quia religioſus per votum naturaliter obligatur Deo; ergo non omnino caret voluntate ad ſe obligandum; ergo etiam obligatur, promiſſione facta proximo de re ſibi libera, & honeſta, vt eſſe poteſt; imo etiam de meliori bono, & conſilii opere: vt eſt ſeruare ſe- cretum, offerre ſacrificium pro amico, rem inuſo acceptam reddere, vel ſoluere, & ſimilia.

7.

Adde præterea, nullum eſſe ius poſituum, quod huic obligationi reſiſtat, ſeu illam irritet; ergo ex natura rei non irritatur per ſolum obedientiæ votum, vt iam oſtenſum eſt: ergo non eſt, cur religioſus dicatur in habilis ad contrahendum, vel imponen- dum ſibi huiusmodi obligationem propter obedi- tiæ votum. Maior probatur, quia illa generalia iura, quæ allegantur, dicentia religioſum non habere vel- le, nec nolle, & ſimilia, non docent, religioſum non poſſe quidpiam licite aut valide velle promittere ſine conſenſu Prælati, ſed contra illius voluntatem, vel independenter ab illa: vt late dixi in d. lib. de Vo- to. c. 5. n. 7. Vnde iura citata ſolum requirunt poſiti- uum conſenſum Prælati; quando materia circa quã religioſus aliquid promittit, acceptat, vel diſponit ex natura ſua, vel ex inſtituto, ac regula religionis, vel ex obligatione aliorum votorum, licentiam Præ- lati poſtulat: vt patebit attente legenti d. cap. 2. de Teſtamentis in 6. & cap. vlt. de ſepult. eodem libro. Et ſpecialiter notari poteſt d. cap. Si religioſus. de Ele- ct. in 6. ibi: *Conſenſus ſic præſtitus* (vtrique ſine licen- tia Prælati) *non tenent.* Et inſta: ipſo facto viribus vacat- tur omnino. Nam his verbis aperte indicatur irrita- tionem fieri per illam legem, & antea non fuiſſe ex vi ſolius voti obedientiæ. Item, cum irritatio ſpecial- iter ſibi adiungatur, ſatis ſignificatur, non eſſe vni- uerſalem. Tandem addit Nauarrus alias congruen- tias valde probabiles; quia irritatio tam vniuerſalis, nec neceſſaria eſt, nec decet ſtatum religioſum. Nam ſine naturali obligatione vix poteſt humanus con- uictus conſiſtere; & ideo vix reperiatur religioſus, qui ſi rem aliquam promittat, quam ſine licentia prælati honeſte facere poſſit, non ſe ſentat ad im- plendum promiſſum obligatum: inquit neceſſaria ei fuerit licentia ad opus præſtandum, & ſub illa con- ditione expreſſa, vel tacita promittit, licentiam pere- re tenebitur; & illa conceſſa tenebitur implere pro- miſſionem: nam ſi negetur, ipſo facto ruet obligatio.

8.

In qua con- ſiſtat ſolen- nitas hu- ius voti.

Veruntamen licet hæc poſterior ſententia, quoad hanc partem vera ſit; nihilominus non obſtat, quo- minus per illum effectum ſolemnitas voti obedi- tiæ explicari poſſit, qui conſiſtit in eo quod vouens ſe non poſſit ſi miter obligare abſque conſenſu præ- lati, vt ex dictis conſtat. Primo quidem, quia licet demus religioſum poſſe naturaliter obligari, ſaltem non poteſt obligari ciuilitet: nam in hoc omnes cõ- ueniunt, & ex iuribus dictis, & exemplo ſerui con- firmari poteſt, & latius inferius circa profeſſionem religioſam tractandum erit: hic autem effectus mor- talis eſt, & à voto obedientiæ ducit originem, & non ratione ſolius promiſſionis; ergo ratione ſolemnita- tis. Deinde licet religioſus poſſit valde naturaliter obligari; non tamen firmiter, neq; irreuocabiliter, quia poteſt à prælato eius obligatio irritari: ſicut de votis religioſorum docuit D. Thomas, & nos cum illo; in d. lib. 3. c. 5. & latius in lib. 6. c. 7. Quam do-

Prælati poteſt irri- rare ſubdi- torum vo- ta & pro- miſſiones.

ctinam merito extendit Nauarrus ſupra, ad promiſ- ſionem, & obligationem naturalem religioſi factam homini, & ſane merito. Nam ſi tanta eſt poteſtas Prælati religionis in voluntates ſubditorum, vt etiam obligationem Deo factam, pro ſuo arbitrio poſ- ſit auferre, proſectò eandem, vel maiorem habet ad irritandum omnem aliam obligationem, quam quouis modo religioſus ſua voluntate cõtraxit. Pro- batur illatio, quia omnis irritatio ex eodem genere poteſtatis, & dominationis naſcitur: tum quia etiam naturalis obligatio homini facta, eſt obligatio in conſcientia, & poteſt eſſe occaſio peccandi, vel im- pedimentum perfectionis: & ideo conueniens fuit, totam illam ſub Prælati poteſtate conſtitui.

Hæc autem poteſtas ſpecialis Prælatorum, & ſub- ordinatio ex parte ſubditorum, ſeu impotentia ad ſe obligandum firmiter, ſeu independenter à volunta- te ſuperiorum, ex voto obedientiæ oritur, & in reli- gione ſit cum peculiari modo, & efficacia: ac proin- de per hunc effectum recte voti huius ſolemnitas de- claratur. Probatur hæc vltima conſequentia, quia ſimplex obedientiæ promiſſio per ſe non inducit tantam ſubiectionem, & dependentiam in vouente, nec dat tantam poteſtatem illi, cui obedientia promittitur; ſed huic dat tantum poteſtatem præcipien- di, & illi imponit obligationem obediendi in his, quæ præcepit, intra latitudinem materiæ talis voti, ſeu promiſſionis. At vero poteſtas irritandi om- nem obligationem ſubditi, longe maior eſt, & non eſt per ſe tantum connexa cum poteſtate præcipien- di: ergo non ſequitur ex vi voti ſimplicis obedi- tiæ: ergo pertinet ad peculiarem proprietatem, à qua votum illud talem efficaciam habet; & conſequen- ter in illa conſiſtit talis voti ſolemnitas.

9. Votum ſim- plex obe- dientia non iuda- cit tantam ſubiectionem, & de- pendentiam in vouente.

Sed adhuc ſuper eſt difficultas in hoc modo expli- candi ſolemnitatem huius voti per hunc effectum. Nam in primis, quod religioſus non poſſit ſe ciuili- ter obligare alteri, vel non provenit ex voto obedi- tiæ, ſed ex eo, quod in religioſo non inuenitur materia talis obligationis; vel quatenus oriri poteſt ex vo- to obedientiæ, non eſt ratione alicuius peculiatis proprietatis, vel ſolemnitatis eius, ſed ex mera obliga- tione talis voti. Explicatur, & probatur; quia omnis obligatio ciuilis, aut eſt realis, aut perſonalis. Prior verſatur circa bona externa, & temporalia; & ideo impotentia illa ſe obligandi realiter, in religioſo pro- uenit ex voto paupertatis, quia non habet bona; ad quæ præſtando ſe obligare ciuilitet poſſit. Poſte- rior autem obligatio cadit in ipſam perſonam reli- gioſi, & actiones eius: & quia per votum obedientiæ illas cõſtituit in volutate ſuperioris; ideo non poteſt illas alteri obligare; quia cum illæ obligationes ſint repugnantes, prior efficacior eſt, & alteri reſiſtit; non ex peculiari ſolemnitate voti, ſed ex pura obliga- tione, quam, vt votum eſt, inducit. Er ita hunc ef- fectum declarant Innocentius, & alii, in dicto ca- pite cum olim. 2. de Priuileg. & in cap. in præſentia. de Probation. & Bart. in l. ſi communis ſeruus. ff. de ſtipu- lat. ſeruo. Panorm. in Conf. 88. p. 1.

10. Difficultas circa pro- poſitam ſolemnitatem obedientia.

Deinde, quod naturalis obligatio non ſit omni- no firma, ſed à Prælato irritari poſſit, iuxta duos irri- tationis modos, ex diuerſis cauſis provenire poteſt. Vna eſt enim irritatio indirecta, que ſit ex parte ma- teriæ: & hæc in obligatione reali provenit ex voto paupertatis; in perſonali autem provenit ex voto obedientiæ: & ad hoc ſufficit ſimplex obedientiæ votum, ratione cuius poſſit prælatus illam materiã pro- hibere, vt cum D. Thoma, & communiter dicitur in d. lib. 6. de Voto cap. 7. n. 1. Alia eſt irritatio directa, que ſit reuocando, & quaſi inſurgendo voluntate eius, qui ſe obligauit. Et hoc etiam modo poſſunt ſuperiores Religionum, ſubditorum vota irritare: vt in d. cap. 7. oſtendi.

11. Irritatio duplex eſt, directa, & indirecta.

ostendi. Et eadem ratione possunt omnem aliam naturalem obligationem tollere, vt dictum est. Non videtur autem hæc potestas fundari in voto obedientie secundum se spectato, ac subinde poterit votum inde solennizari. Consequentia videtur, & antecedens probatur; quia illa potestas irritandi vota & obligationes subditorum; prouenit ex potestate dominatiua, quam Prælatus habet in religiosis sibi subditos. Illam autem potestatem non habet ex voto, quia per votum non fit donatio, sed promissio; ergo ex vi illius non acquiritur dominium, seu dominatiua potestas. Sicut seruitus non inducitur per promissionem, sed per realem traditionem, vel iustam captionem personæ. Ita ergo in præsentibus prælatus religionis talem potestatem dominatiuam habet in voluntate subditorum, vt verè habet, non illam accipit per votum obedientiæ, sed per traditionem, quam religiosus facit, vt supra dictum est. At votum non solennizatur formaliter per traditionem vt in aliis dictum est; & de hoc videatur eadem ratio, quia traditio, & votum tantum concomitanter se habent: & efficaciam dandi talem potestatem, non est in ipso voto, sed in traditione.

Ad hoc autem responderi potest, votum obedientie non distinguui à traditione sui, quam religiosus facit religioni: tum, quia per traditionem fit præcipua abnegatio propriæ voluntatis, quæ fit etiam per votum obedientiæ; iuxta illud Gregorii lib. 6. in prim. reg. cap. 2. *Per alias virtutes nosti a Deo impendimus: per obediens enim nosmetipsos exhibemus.* Et illud lib. 3. Moral. in Iob. cap. 12. *Per obedientiam propria voluntas multatur.* Tum etiam, quia non oportet plura vincula multiplicare; alias religiosus in obediens dupliciter peccaret, & contra iustitiam ratione traditionis, sicut peccat seruus non parendo domino, & contra religionem ratione voti, quod non videtur admittendum: vt Soto insinuat lib. 7. de iustitia q. 2. a. 3. ad 1. in fine. Nihilominus hæc responsio falso nititur fundamento: nam supponimus in professione religionis, præter traditionem, verum, ac formale votum obedientiæ fieri; quod infra ostendemus. Votum autem, cum essentialiter sit promissio, non potest esse traditio, nec illam essentialiter includere, licet cum illa fiat, vt supra lib. 1. & in 2. tom. de Virtut. religio. nis. lib. 1. cap. 14. probatum est. Et rationes ibi factæ, quæ in voto obedientiæ procedunt. Nec superfluum additur votum obedientiæ traditioni religiose, etiam si ex vi traditionis religiosus iam non sit sui iuris, & illi, cui se tradit, parere teneatur. Nam in primis traditio facta religioni specialius consecratur Deo per obedientiæ votum: nam cum traditio immediatè fiat homini propter Deum, & ad obsequium Dei, per votum quasi eleuatur, vt sit quasi spirituale holo caustum ipsi Deo oblatum. Deinde traditio firmatur per votum: nam addit illi specialè obligationem fidelitatis Deo debitæ; quam traditio per se non inducit. Nec est inconueniens admittere duas malitias in actu contrariæ obedientiæ Prælati, vnam contra hominem, & aliam contra Deum: nam id sentit D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. dicens, votum obediendi prælati supponere promissionem humanam ad Deum, vel traditionem factam prælato, & supra illam cadere votum. Ac subinde concedit ibi duas obligationes diuersarum rationum. Vnde fit in transgressione contrariæ esse duas malitias; vt ibi Caietanus animaduertit, & Soto admittit in eodem articulo supra citato ad 3. Vnde in solutione ad primum in alio sensu locutus est; solum enim negat, peccando contra obedientiam prælati, peccari simul contra virtutem specialem temperantiæ, v. g. vel aliam similem, quod alterius considerationis est, quam infra disputando de peccatis religiosorum tractaturi sumus.

Et Suarez de statu rel. g. tom. 3.

Supposita ergo distinctione inter traditionem religiosam, & votum obedientiæ, videtur consequi ex dictis, in hoc voto admitti posse illorum Doctorum sententiam, qui dixerunt, votum solennizari per traditionem, tanquam per formam illi moraliter coniunctam. Nam omnis impotentia, quæ in voluntate religiosi inuenitur ad firmiter se obligandum, nascitur ex traditione sui in potestatem prælati, sub quo, tanquam pupillus sub tutore constituitur. Et quia hæc traditio licet per votum formaliter non fiat, per illud perficitur, & roboratur: ideo tale votum, quia supra talem traditionem cadit, per illam solennizari dicitur. Vnde inferunt aliqui, solennitatem huius voti esse de iure naturali, & diuino; quia si traditionem consideremus, ad illam ex natura rei, ac proinde ex iure diuino, ac naturali sequitur impotentia illa voluntatis religiose ad firmiter se obligandum. Deinde, si votum spectemus, habet hanc proprietatem specialem, quod cadit in ipsam traditionem, quam religiosus facit prælato; & ideo iure diuino obligatur ad implendam illam, & quasi virtute continet illam, & ab illa solennizatur; & ita virtute illius ex natura rei reddit voluntatem vouentis inefficacem ad se obligandum firma obligatione; id est, non reuocabili, seu irritabili à prælato, & ita specialius, quam cæteri videtur sentire Aragon. 2. 2. quaest. 88. a. 8. dub. 1.

Ego verò ad hanc rem explicandam, in primis dico, traditionem religiosam etiam voto obedientiæ firmatam, non habere ex solo iure naturæ, & sine adminiculo iuris canonici, vim ita subiucendi voluntatem religiosam voluntati prælati, vt reddatur impotens ad validè, & firmiter se obligandum sine consensu prælati. hanc assertionem indicat Richard. in 4. dist. 38. art. 4. quaest. 1. Ait enim religiosum nullum votum validum posse emittere sine licentia prælati; quia per Ecclesiam illi est prohibitum. In quo licet falsum asserat, omne votum religiosum esse inualidum simpliciter: nihilominus in quantum illam assertionem reducit ad ius posituum Ecclesiæ, satis indicat, etiam quamcumque infirmitatem (vt sic dicam) illius voti, in ius posituum Ecclesiæ reducendam esse. Ee eodem modo induci possunt pro hac sententia Angel. verb. *votum*. 2. num. 2. Rosel. verbo *votum*. num. 14. Sumitur etiam ex iurisperitis asserentibus, religiosum non posse voto se obligare: nam in hoc præcipue fundantur, quod ius illis refert, vt videri potest in Panormitano, & aliis in principio capitis allegatis. Et licet etiam dicant, non posse vouere, quia non habent velle, aut nolle, id solum confirmant ex legibus canonicis, vt Panormitanus in cap. vlt. de Voto. num. 3. & alii supra allegati. Denique idem docui in d. lib. 6. de Voto. cap. 7. Et quoad obligationem ciuilem videtur per se clara; quia ipsamet ciuilis obligatio quoad institutionem, & substantiam suam (vt sic dicam) est de iure humano: vnde incapacitas illius eiusdem est iuris. De naturali autem obligatione suaderi potest, quia traditio religiosa cum voto obedientiæ non irritat vota, vel alias naturales obligationes religiosorum ipso facto ex iure naturæ. Ergo nec faciunt illa directe irritabilia ex natura sua. Antecedens probatur, quia iuxta veram sententiam traditam lib. 3. de Voto. cap. 5. nunc talia vota sunt valida, & obligant, donec irritentur; ergo non irritantur ipso facto iure naturæ. Nec in hoc a nobis dissentiunt, qui putant talia vota à principio esse inualida: nam ipsi etiam hoc referunt in humanam institutionem, vt dixi. Consequentia verò probatur, quia licet aliud sit irritare, quam infirmare ipso facto obligationem, non est tamen maior ratio ad vnum, quam ad aliud asserendum. Primum, quia non habet vnum maiore

13. Aliqui dicunt votum obedientiæ per traditionem solennizari.

14. Afferunt prima Traditio religiosa essam voto obedientiæ firmata, non habet ex solo iure naturæ ahs que adminiculo iuris canonici, vni prælati.

D



rem connexionem intrinſecam cum profeſſione religioſa, quam aliud.

15. Secundo, quia vtrumque provenire debet ex poteſtate, quaſi dominativa, quam ex natura rei acquirit Prælatuſ religionis ſupra ipſam voluntatem religioſi, & actus eius. Vnde ſi homo ſua priuata voluntate poteſt alteri illam ſubiicere, & donare, vt quidquid ipſe poſtea velit facere, vel promittere, poſſit alius irritare, ea ratione poterit illam alteri tradere, vt quidquid obligationis ſibi imponere intenet, ſine Prælati obligatione, ſit irritum, & inane. Et conſequenter dicendum eſſet, talem eſſe traditionem religioſam; quia re vera erit magis perfectæ, & religioſus intendit illam facere perfectam, quantum ex natura rei poteſt. Multo ergo verſimilius videtur, neutro modo fieri poſſe, vt homo ratione vtens ſe prius poteſtate ſe obligandi firmiter ad ea, quæ iuſte, & honeſte facere poteſt, ſolo ſuo arbitrio, & authoritate ſe priuando dominio ſuæ voluntatis, quoad hanc partem, & illud in aliud transferendo: quando ergo religioſe ſit, ſine adminiculo, & fauore legis Eccleſiaſtica non ſit. Antecedens non poteſt euidenter probari, (quantum ego aſſequor) eſt autem per ſe verifſimillimum; quia res eſt grauifſima, & valde præternaturalis, & expoſita multis litibus, & fraudibus, niſi authoritate publica roboretur. Et ita videmus, nec in ciuilibus, nec in Eccleſiaſticis introductum, inuenire tale genus dependentiæ vnius voluntatis perſonæ iam vrentis ratione ab alia ſine Republica, vel Eccleſiæ authoritate: vt conſtat in ciuilibus de voluntate minoris ſibi reſpectu parentis; vel pupilli reſpectu tutoris: & in ſpiritualibus in abrenunciatione voluntatis, de qua tractamus; ſemper enim ab authoritate Eccleſiæ, cuiusque approbatione pendet.

16. Dices, vbi ſunt Eccleſiaſtica iura, in quibus hic effectus fundetur, ſeu inſtituatur? Item, ſi hic effectus non ſequitur ex natura rei ex efficacia voluntatis propriæ perſonæ ſe alteri tradentis, non videtur ſummum Pontificem illum introducere poſſe, ſeu inſtituere: quod ſi Pontifex non poteſt, non eſt in Eccleſia talis poteſtas, vt per ſe patet. Antecedens liquet, quia Pontifex non habet poteſtatem irritandi fidelium vota, (vt ſuppono;) ergo per ſolam poteſtatem iurisdictionis non poteſt talem irrationem introducere, inſirmo vota religioſorum, vel eorum voluntatem, quoad hanc partem inhabilitando. Denique retorquemus argumentum ſuprà factum; quia ſi Eccleſiæ inſtitutione factum eſt, vt profeſſio religioſa hunc habeat effectum, etiam potuiſſet inſtituere, vt voluntas religioſi non eſſet capax illius obligationis naturalis, etiam irritabilis, ſed vt ipſo facto eſſet irrita: vnde ergo conſtat, hoc potius, quam illud inſtituiſſe. Cum igitur hoc ostendi non poſſit, neutrum illi eſt tribuendum, cum probabilius credamus non omnes obligationes religioſorum ipſo facto irritaſſe.

17. Ad ſatisfaciendum primæ interrogationi, aliqui allegant cap. *Monacho* 20. quaſt. 4. ſed illud caput parum probat: vt notauimus in lib. 3. de Voto. cap. 5. Alii præcipue fundant hunc effectum in illa regula Canonum, quod *Religioſus non habet vellere, nec nolle*: vtique in quo à Prælato non pendeat, vt ſubiungitur, & tacite exponitur in d. cap. *ſi religioſus*. & indicatur in d. cap. *non d. catiſ*. Alii vtuntur æquiparatione ſerui, qui licet poſſit naturaliter obligari, non tamen ita firmiter, quin poſſit dominus eius obligationem irritare. Hoc tamen non eſt certum, ſi tamen verum eſt, ſatis eſt commoda æquiparatio. Addi etiam poteſt, modum, & effectum religioſæ profeſſionis nunquam fuiſſe in Eccleſia ſine aliqua eius approbatione, & confirmatione: per quam etiam huic

Vide iura  
ciuilia.

modo contrahendi inter religioſum, & religionem, vel prælatum, dat robur, & authoritatem, ſine qua efficaciæ non fuiſſet; & ita hoc Eccleſiaſticum ius, ſeu inſtitutio eiudem Eccleſiæ traditione ſufficienter ostenditur.

Ad ſecundum reſpondemus, negando conſequentiam: nam etiam Pontifex non poteſt irritare matrimonium factum; & tamen antecedenter poteſt conditiones tradere, ſine quibus matrimonium irritum ſit. Idemque inuenietur in profeſſione religioſa, & in aliquibus votis ſimplicibus. Ratio vero eſt, quia difficilius diſſoluitur vinculum ſemel factum, & validum, quam impeditur, ne fiat. Item, quia irritatio voti iam facti non eſt actus propriæ iurisdictionis, ſed domini, ſeu iuris patet. At vero modum contrahendi determinare, & gradum etiam obligationis, vel acquisitionis domini præſcribere, eſt actus iurisdictionis, & ſuperioris poteſtatis, quæ in hoc particulari effectum, non eſt, cur Eccleſiæ denegeretur.

Vnde ad certum fatemur habere Pontificem poteſtatem approbandi inſtitutum religioſum, in quo ex vi profeſſionis impediatur voluntas religioſorum, vt valide ſe obligare, aut vouere poſſint; ſintque talia vota non ſolum infirma, ſed etiam irrita. Nihilominus tamen non credimus id feciſſe; quia canones id non declarant, & ſuauis explicatur, ac ſufficienter de irritabilitate obligationis potius, quam de irritatione. Item, quia communis uſus, & conſentus religionum ita explicat hunc effectum. Item, quia illa irritatio eſt nimia, & (vt ſic dicam) inhumana ſubiectio, ſtatu religioſo minime neceſſaria, imo neque conueniens: altera vero moderatior eſt, & illi ſtatu conuenientiſſima. Vnde poteſt arguendum illud retorqueri. Nam ſi hic effectus eſt qualiſ naturalis, ex vi traditionis fieret in ſummo gradu, ſeu quantum poſſibile eſt; quia cauſe naturales agunt, quantum poſſunt, & quia voluntates priuatarum perſonarum, in hoc non diſcernunt, ſed ſe tradunt, quantum poſſunt ſimpliciter, & absolute, ſi hoc non penderet ab inſtitutione, & approbatione Eccleſiæ. Vnde, quia hic effectus ab inſtitutione, & approbatione Eccleſiæ ſit, habet locum diſcretio: & ideo non cum ſummo rigore, ſed cum conuenienti moderatione hanc efficacitatem inſtituit, & profeſſioni religioſæ tribuit.

Dico ſecundo. Eccleſia nunquam tribuit hanc vim vel ſoli voto obedientiæ ſeparatim à traditione facto, nec ſoli traditioni per ſe ſumptæ, ſed vt confirmata per votum obedientiæ, & principaliter propter illud. Ideoque dicta ſolemnitas per Eccleſiam introducta, & efficaciæ ſubſiſcentiæ voluntatem religioſi in tali gradu, & tali modo poſita, ipſi voto obedientiæ principaliter attributa eſt. hæc tota aſſertio eſt conformis authoribus allegatis. Et prima, & ſecunda pars eius videntur notæ ipſo uſu, & traditione Eccleſiæ; quia Eccleſia nunquam hoc inſtituit, aut probauit, niſi in ſtatu religioſo: hic autem ſtatutis non ſubſiſtit ſine obedientiæ voto, vt ſuprà oſtenſum eſt; nec etiam conſtituitur ille ſtatutis ſine traditione, nec forte poteſt ſine illa ſubſiſtere, ſaltem in completo gradu perfectionis. Et ſi forte aliquando extitit ſine tali traditione, non conſtabat votis ſolemnibus, ſicut nunc conſtat, vt poſtea dicemus. Ergo votum obedientiæ non habet illam efficaciam, nec ſolemnitatem, niſi traditionem religioſam ſupponat, & ſuper illam cadat: nec è conuerſo traditioni per ſe ſpectata tanta perfectio, vel efficacitas data eſt. Vnde pars aſſertionis vltima, in qua huius puncti reſolutio conſiſtit, facile ſua detur; quia hic effectus proprius eſt religioſæ profeſſionis, in qua traditio eſt qualiſ materiale, votum autem eſt

veluti

velut formale, quod non solum fit obligatione  
patere di religioni, sed etiam illam complet, & maxi-  
me Deo consecrat, ideoque illi principaliter tribui-  
tur abne-gatio voluntatis: vt ex Augustino, & Gre-  
gorio iam retulimus; & sumitur etiam ex Basilio,  
non regul. sui. disputat. reg. 6. & 8. & idem tradunt o-  
mnes Patres de statu religioso scribentes, vel regu-  
las eius tradentes. Ergo merito dicta efficacitas  
voto obedientie tribuitur; & illa eius solemnitas  
constituitur.

Vnatumum superest difficultas; quia inuenitur  
votum obedientie traditioni religiose coniunctum,  
& eandem habens efficacitatem ita subordinandi  
voluntatem vouentis prelato, vt sine illius consensu  
non possit firmiter obligari; & nihilominus non est  
votum solenne obedientie: ergo istius voti solemnita-  
tas non in illa proprietate consistit. Hec autem ex  
voto obedientie scholarium, & Coadiutorum So-  
cietatis Iesu verificatur, vt nunc suppono. Confe-  
quentia vero nota videtur; quia non potest forma  
in esse alicui, quin illum formaliter denominet. Ergo  
si illa est proprietates, & solemnitas voti obedientie,  
omne votum illam habens erit solenne: & contra-  
rio si aliquod votum obedientie illam proprietate  
habens, non est solenne, signum clarum est, non esse  
illam voti huius solemnitatem. Hec autem diffi-  
cultas iam in superioribus est in similibus expedita;  
concludit enim, totam solemnitatem huius voti non  
consistere in sola proprietate iam dicta nude, & pre-  
cise sumpta; sed includere, vel supponere traditio-  
nem absolute perpetuam cum vinculo, & obligatio-  
nem irreuocabilem vtque patte, vtique religiosi, &  
religionis, ita vt illa proprietates vel sit talis forma,  
que non det voto illam denominationem solennis,  
nisi perpetuum sit; nec ipsa sit solennitas, nisi in or-  
dine ad illud. Sicut caritas non est limitata, nec dat  
illam denominationem, nisi tali materia; scilicet,  
natio: & effigies monet non dat illam denomina-  
tionem, nec valorem, nisi tali materia, v.g. argento.  
Vel certe, vt solennitas huius voti non sit tota huius  
voti solemnitas, sed consummet, seu integret illam  
simul cum absoluta voti perpetuitate. Vel denique,  
quia quando supponitur traditio vtique irreuocabi-  
lis, votum etiam habet efficaciam ad introducend-  
dam in principate in perpetuam: votum autem sim-  
plex Societatis non indicat illam absolute perpetu-  
tatem, & ideo non est moraliter ita efficax, ideoque non  
est solenne: sicut in aliis declaratum est. Vbi etiam  
est ostensum, quomodo talis perpetuitas ex vtu cano-  
nicum, & communi modo sentiendi ad substantia-  
lem solemnitatem voti necessaria sit.

Hic vero restabat questio, an preter hanc vota  
sunt alia solennia propria, & peculiari solennitate sub-  
stantiali: In quo habemus generalem doctrinam D.  
Thomae 2. 2. quest. 88. art. 7 ad 2 & 3 dicentis, non o-  
mnia vota esse apta, vt solennizentur: nam tempo-  
ralia vota, & particularia, que sunt de particularibus  
actibus, vt votum peregrinationis, vel similia, non  
solennizantur, sed illa tantum, que perpetua sunt,  
& quodammodo vniuersalia; quia per illa totali-  
ter homo subiicit diuino obsequio. Et rationem  
reddit, quia solennitas non solet adhiberi, nisi  
mutationi, seu assumptioni status, vel simili muta-  
tioni stabili, ac perpetua. que doctrina intelli-  
genda est de solennitate substantiali, vt ipse indicat  
in solutione ad 3. Nam accidentalitas, & externa aliis  
etiam contra actibus, & votis etiam simplicibus ad-  
hiberi potest, & interdum ita fit, vt in superioribus  
tactum est. Iuxta vero communem, & antiquum Ec-  
clesiasticum morem, & ordinarium ius, sola illa tria vota  
solennizari consueuerunt. Et ita dixit Durand. in 4.  
dist. 8. quae. 1. num. 8. vota solennia tantum esse circa

illas tres materias, nempe castitatis, paupertatis, &  
obedientie; & ita loquuntur alij antiqui, sed intel-  
ligendi sunt de facto, & pro suis temporibus, non de  
possibilitate. Sicut etiam (quod notandum est), so-  
lum votum castitatis clericorum in sacris solet sepa-  
ratum ab aliis solennizari; quia eius solennitas mi-  
nor quodammodo, magisque accidentaria cen-  
setur. At vero reliqua tria vota religionis, non tantum  
sola ipsa solennizari consueuerunt, sed etiam non  
solennizantur, nisi simul; nec potest vnum sine aliis  
solennizari secundum ordinarium ius, quia nullum  
illorum solennizatur, nisi in professione religiosa;  
professio autem religiosa sine tribus votis valida esse  
non potest. Et hoc est nouum, & optimum signum,  
quod tota haec solennitas sit ex Ecclesiae institutio-  
ne, nam sine dubitatione potuisset vnum illorum  
votum, praesertim castitatis sine aliis solennizari; non  
solum in sacri ordinis susceptione, sed etiam in aliis  
viuendi modis suo modo perpetuis, & stabilibus, si  
Ecclesia ita institueret, & approbare voluisset. Quid  
enim impedit, aut quae repugnantia in ea cogitari  
potest? Certe nulla. Et fortasse aliquando ita vitatum  
fuit, vt postea videbimus. Simili ergo modo, licet ta-  
tum illa tria vota vsque ad nostra tempora solenni-  
zari consueuerint, quia illa sola ad religiosum statum  
constituendum sufficiunt; nihilominus non repugnat,  
alia solennizari. Et in religione Patrum Sancti Fran-  
cisci d. Paula, Mimorum appellata, additur in pro-  
fessione quartum votum perpetuae abstinentiae qua-  
dragesimalis quod solenne esse indicatur, cum quartum  
votum appellatur. Et ita illud appellat Palacios  
in 4. dist. 8. disp. 2. & Azor d. lib. 12. c. 6. q. vlt. Hoc au-  
tem positum, in quo eius solennitas consistat, illius in-  
stituti professores melius explicabunt. In professione  
item solennis, quae in societate fit, quartum votum spe-  
cialis obedientiae ad summum Pontificem in Missio-  
nibus acceptandis, & obeundis additur: quod votum  
tam in constitutionibus Societatis, quam in Bullis  
Pontificis solenne appellatur. In quo autem eius solen-  
nitas consistat, illud institutum explicando tractabimus.

CAPVT XIV.

*Utrum solemnitas propria trium votorum essentia-  
lium, sit etiam de substantia & essentia  
religiosi status.*

Hanc questionem simplici assertione superius  
in ca. 6. huius libri ad finem definiuimus; quia  
vero illam radiciter explicare, & probare, non in-  
tellecta trium votorum solennitate, non poteramus,  
ideo circa illius declarationem, in praecedentibus  
capitulis, & ipsis non dum explicatis, cum aliqua  
fortasse praematura anticipatione, necessitate coacti,  
immorati sumus: ideoque ad illam examinandam,  
& probandam, nunc reuerti necesse est. Nam vsque  
ad tempora nostra, & Gregorii XIII. Pontificis Ma-  
ximi, multorum opinio fuit, sine illis tribus votis so-  
lennibus, proprie, & substantialiter statum religio-  
sum subsistere non posse ac subinde illam solennita-  
tem esse de essentia religiosi status; sub essentia nunc  
comprehendendo quidquid ad illius status consti-  
tutionem simpliciter necessarium est. Solutaque haec  
opinio tribui D. Thomae 2. 2. quest. 184. art. 5. qui lo-  
cus non cogit, vt iam vidimus: citatur etiam in q. 189.  
art. 2. ad 1. vbi ait, duplex esse votum religionis, vnum solenne,  
quod hominem facit monachum, vel religiosum; aliud sim-  
plex, quo non fit aliquis monachus, vel religiosus, sed solum ob-  
ligatur ad religionis ingressum. Qui etiam locus non om-  
nino cogit, quia non loquitur D. Thomas de omni  
voto simplici, sed de illo, quo de futuro promittitur  
religionis ingressus, de quo clarum est, non posse re-  
ligiosum constituere, sicut votum castitatis non facit  
castum: nec etiam dicit, votum solenne esse necessarium

*Tria vota  
religionis  
simul debent  
solennizari  
in profes-  
sione.*

*Præter tria  
alia etiam  
vota possunt  
solennizari.*

*vsque ad  
septra no-  
stra, fuit  
multorum  
opinio, sine  
tribus solen-  
nibus non  
posse consti-  
tutionem  
religiosam  
simpli-*